

VETERUM PATRUM TESTIMONIA DE S. LEONE.

Epistola Joannis Cassiani presbyteri Librorum sanctorum de Incarnatione Christi contra Nestorium Nuncupatoria.

Absetatis dedum Collationum spiritalium libellis sensu magis quam sermone insignibus (quia alto sanctorum virorum sensui sermo nostrae imperitiae imper fuit), cogitans, et propemodum constitueram post illum prodita inscitiae pudorem, ita me in portu silentii collocare, ut exasarem, quantum in me esset, per taciturnitatis verecundiam, loquacitatis audaciam. Sed visisti propositum ac sententiam meam laudabili studio et imperiosissimo affectu tuo, mi Leo, veneranda [At. mi Leo veneranda] ac suspicienda charitas mea, Romanæ Ecclesiae ac divini ministerii decus, producas me ex illo praemeditati silentii recessu in publicum formidandumque iudicium; et nova subire cogis abbas de praeteritis erubescens: cumque etiam minoribus impar fuerim, par majoribus a te esse compellor. Ego enim ne in illis quidem opusculis quibus per ingenium nostri obtinueram Domino sacrilevimus, nostri aliquid aut usurpare tentassem, nisi episcopali tractus imperio. Crevit itaque per te oris nostri et styli dignitas. Nam qui iussi antea de Dominicis studiis locuti sumus, nunc id exigis ut de ipsa Incarnatione Domini ac maiestate dicamus: ita qui prius in sancta templi velut per sacerdotalem manam introducti sumus, nunc ductu tuo atque subsidio quasi in sanctorum sancta penetramus. Magnus honor, sed periculosa progressio [At. professio]; quia obtineri sacrorum penetralium ac divini praemii palma non potest, nisi hoste superato. Exigis itaque ac iubes adversum recentem haeresim ac novum fidei hostem conserere imbecilles manus, et contra pestiferi serpentis graves hiatus aperto, ut atunt, ore consistere: scilicet ut insurgentem in Ecclesias Dei sinuosus tractibus draconem vis prophetica et sermonis evangelici divina virtus, me quasi incantatore, irrompat. Pareo obsecrationi tuae, pareo iussioni; malo enim de me ipso tibi, quam mihi credere, maxime quia id tecum amor Iesu Christi Domini mei praecipit, qui hoc ipsum etiam in te jubet. Superest ut effectum imperati negotii ab ipso postules per quem imperasti. Tua enim iam hic magis causa quam mea vertitur, tuam magis iudicium quam meum officium periclitatur. Me enim, sive par sim tuo imperio, sive non sim, ipsa aliquatenus obedientiae ratio atque humilitatis excusat; nisi quod hoc plus meriti est in obsequio meo, si minus est in possibilitate. Facile enim cuiuslibet iussioni ex abundantia satisfacimus: illius officium grande est et mirabile, qui etiam idem in voto habet quod in viribus non habet. Tua ergo haec res, tuum negotium, tui pudoris opus est: ora et obsecra ne Imperitia mea periclitetur electio tua; et opinioni

tantae nobis non respondentibus, etiam si ego per obedientiae veniam bene pareo, tu tamen per incoconsiderantiam iudicii male imperasse videaris.

Theodorets, episcopus Cyrensis, in epistola ad Abundantiam episcopum, apud Baronium an. 450, n. 33.

Legimus quae (S. Leo) ad sanctam et beatam memoriam Flavianum scripsit; et gratias egimus Domino nostro humanissimo Deo, quod advocatum et propugnatorem veritatis invenimus. Illis et ego litteris consensi . . . cui etiam subscripsi; et ex hoc probavi quod regulas apostolicas, hoc est vera dogmata, servar.

In concilio Chalcedonensi act. 2, post recitatum Leonis epistolam 2, ad Flavianum, Patres clamaverant.

Petrus per Leonem ita locutus est . . . Pie et vere Leo docuit.

Idem concilium in relatione ad Patheriam edita tom. IV Concil. Ven. edit. pag. 1336.

Ipsi naves suas in cursum repelere rectores, Christo ad intelligentiam prospere dirigente, qui ostendit in Leone mirabili veritatem; qui sicut sapiente Petro, ita et isto obtulit assertore.

Idem concilium in allocutione ad Marcianum imperatorem, tom. IV Concil. pag. 1758.

Nobis impenetrabilem omni errore propugnatorem Deus praevitit, et Romanæ Ecclesiae papam ad victoriam preparavit, et doctrinis eum per omnia veritatis astringens, ut quemadmodum Petrus, et hic affectu ferventiore decertans, omnem ad Deum sensum intelligentiamque perducat.

Leontius episcopus Arelatensis in epistola ad Hilarium papam Leonis successorem tom. V Concil. p. 63.

Quod Leonem sanctissimum praedecessorem tuum mors abstulerit, contra haereses invigilantem, et lolium in agro Domini, heu! nimis fructificans eradicanem, dolemus.

Simplicius papa in epistola ad Leonem imperatorem, tom. V p. 98.

Leo papa ita plene atque dilucide sacramentum Dominicæ incarnationis exposuit, ut non modo catholicus, sed ne Christianus quidem valeat nuncupari, quisquis illie (id est in Leonis epistolis) et redemptionis suae causas non evidenter agnoscat.

Gelasius papa in synodo Romana 76 episcoporum; in decreto de apocryphis libris, tom. V p. 587.

Epistolam (suscepimus) B. Leonis papae ad Flavianum CP. episcopum destinatum, de cuius textu quisquam si usque ad unum iota disputaverit, et non eam in omnibus venerabiliter acceperit, anathema sit.

Orientalis episcopi in epistola ad Symmachum papam, tom. V p. 436.

Qui praecessit beatitudinem tuam, inter sanctos constitutus, Leo archiepiscopus, ad Attilam tunc erronem barbaram per se currere non duxit indi-

gnum, ut captivitatem corrigeret corporalem. Et A doctor ex sermone sanctæ Epiphaniæ ita nos docuit, etc.

Cassiodorus in Expositione psalmi LXV.

Leo papa ad Flavianum scribens, Doctor apostolicus, dicit, etc.

Facundus Hermianensis, lib. XII c. 2.

Quis hujus Romani antistitis (Leonis) gravitatem non prædicet? Quis tantam constantiam non honoret? Movere hunc posset ullo modo sæcularis potestas a sententia non retractandi quæ divinitus fuerant constituta (in concilio Chalcedonensi) quem corporaliter loco movere non potuit?

Vigilius papa in Constituto diei VII kal. Martiarum anni 554, tom. VI Concl. Ven. edit. pag. 305 n. 22.

Tam præclari pontificis atque doctoris, id est beati Leonis, epistolam aperta pla dogmata continentem, etc.

S. Gregorius papa in epist. 53 libri IX.

Sanctissimæ Orientis Ecclesiæ uno sensu, una doctrina, fidem ejusdem sanctæ memoriæ Leonis tenent.

S. Maximus Græcorum theologus in spiritali ac dogmatico tomo contra Heraclii imperatoris Ecthesin.

Magnæ Romanæ Ecclesiæ antistes, vir fortissimi pectoris sanctissimusque Leo.

Hadrianus I ad episcopos per universam Spaniam, epist. 97 codicis Carolini.

Sed et beatus Leo egregius papa atque præcipuus

Nicolaus I papa in epist. ad Michaelen imperatorem.

In Ephesino lairocinio cunctis præsulibus et ipsi quoque patriarchis prolabentibus, nisi Magnus Leo, Imitator scilicet Leonis illius de quo scriptum est, *Vict Leo de tribu Juda*, divinitus excitatus, os aperiens, totum orbem et Augustos ipsos concuteret, et ad pietatem commoveret; religio Christiana penitus corruisset.

Photius CP. in epist. ad Michaelen Bulgaricæ principem.

Leonis sanctissimi papæ Romani gloria magna magnusque pietatis ac religionis zelus fuit et studium.

B *Menologium Græcorum Basilii imperatoris jussu digestum.*

Leo admirabili virtute animi, sapientia et sanctitate præditus, Romanæ Ecclesiæ pontifex, præclarissimis monumentis virtutem suam, præcipue autem rectam fidem testatam reliquit.

Ado episcopus Viennensis in Chronico.

Leo urbis Romæ beatissimus episcopus doctrinæ fidei clarus habetur.

Libellus Synodicus c. 94.

Leo Romæ papa, apostolis æquandus.

Alia antiqua testimonia partim in epistolis ad Leonem scriptis, partim in admonitionibus, præsertim ad epist. 28, inserta inveniuntur.

SANCTI LEONIS MAGNI

ROMANI PONTIFICIS OPERUM GENUINORUM PARS PRIMA,

CONTINENS

S. PATRIS SERMONES.

PRÆFATIO.

De mss. fontibus ex quibus prodierunt ac potissimum emendandi sunt sermones S. Leonis.

1. Duo universim sunt manuscripti fontes ex quibus sanctorum Patrum sermones attingere seu emendare licet, nimirum Ecclesiarum Lectionaria ex variorum sanctorum sermonibus compacta, et peculiare sermonum alicujus sancti collectiones.